

PERSONALIA ET REALIA

Dispositione Majorum Nostrorum, hoc anno nullus alumnus ad Studium missus fuit, dum omnes praecedentis anni variis de causis in Provinciam propriam revocati sunt praeter R. P. PASCHALEM CAPORALE, qui usque ad mensem Martium h. a. philologicas Lectiones frequentavit, Romanque dein petiit ad examen Prolytatus coram Pontificia Commissione de Re Biblica subeundum, quod feliciter cum mentione speciali in sessione aestiva (mensis Maji) superavit.

Valetitudinis causa, R. P. AUGUSTINUS AUGUSTINOVICH, Lector Novi Testamenti, munus et Terram Sanctam relinquere coactus est, mense Septembri 1951, inque Venezuelam migravit, ubi paroecialibus laboribus addictus ut magnos spirituales fructus referat ex corde auspicamur. Hucusque nullus in eius munus suffectus est.

Mense Decembri 1951, advenit R. P. ALEXANDER GIORDANO, peractis Romae in Facultate Or. Pont. Inst. B. studiis, qui, linguas orientales docturus, pro tempore in Israel ad adipiscendam linguam hebraicam modernam moratur.

Deficientibus alumnis facile intelligitur actuosam Studii vitam iterum languisse si ad exteriora tantum respicis, quae scholarem illustrant. Attamen Lectores minime otio languerunt. R. P. SYLVESTER SALLER, excavationes apud Bethaniam, ubi nunc Alma Custodia T. S. elegantem ecclesiam intra rudera antiquae, auctore notissimo architecto A. BARLUZZI, aedificat, per aream evangelici pagi persequitur, de quibus nonnulla supra iam relata fuerunt, et plura ut publici iuris fieri possint praeparantur. Interea R. P. BELLARMINUS BAGATTI in lucem edidit volumen de antiquis aedibus sacris bethlehemitanis, quod in serie editionum Studii Numerum 9 occupat (v. *L.A.* I, p. 272s.). Idem Auctor et R. P. DONATUS BALDI nonnullas commentationes (vulgo *articulos*) in *Enciclopedia Cattolica* contulerunt. Commentarium in Librum Josue, quod in *L.A.* I, p. 285 mox proditum adnuntiabamus, nunc tandem in venditionem exponitur, in columnis ill.mi bibliopolae Marietti. Inter manus eiusdem bibliopolae jacet aliud opus sub proelo, nempe *Atlante Storico della Bibbia*, a RR. PP. PAULINO LEMAIRE et DONATO BALDI confectum, quod, Deo favente, prodibit in lucem anno proximo.

* * *

Excursiones archaeologicas hoc anno perficiendi rara occurrit occasio, cum revera activitas archaeologica in hac parte Palaestinae nondum plene resumpta fuerit, attamen Lectores Studii visitarunt excavationes apud *Dhibân* (Dibon), *Tell es-Sultân* (Jericho) et *Siyâr el-Ghanem* (Campus Pastorum? prope Bethlehem).

In colle a septentione hodierni pagi *Dhibân*, expeditio Scholae Americanae (*The American School of Oriental Research*) ampliavit excavationes precedentis anni, de quibus relationem edidit F. W. WINNETT in BULLETIN Scholae (BASOR Nr. 125 [February 1952], 7-20). Porta civitatis quae prope angulum orientalem-meridionalem quaerebatur inventa non fuit fructusque laborum multo minores sunt iis in praecedenti expeditione obtentis, quamvis nonnulla sepulcra explorata testas moabiticis tradiderint, alicuius momenti pro historia loci.

Expectationem omnium moverat nuntium de excavationibus resumendis in *Tell es-Sultân* (antiqua Jericho), nam non ignoratur praecedentes excavationes plura excitavisse problemata quam solvisse. Effossiones dirigebantur a *British School*, duce MISS KATHLEEN M. KENYON, cooperantibus *American School* et *Jordanian Department of Antiquities*. Visitavimus labores cum jam ad finem properabant, et insuper interfuimus orationi quam de iis habuit moderatrix effossionum (Nunc habetur etiam relatio brevis eiusdem in *Palestine Exploration Quarterly*, January-April 1952, pp. 4-6). Duplex area moeniorum explorata fuit, cuius una, in media parte occidentali collis, revelavit potentem munitionem cum duplici praecipite (*glacis*) technicae artis temporis Hyksos insigne. In altera area, in parte occidentali, prope angulum nord-ovest, nonnisi moenia temporis Aeri Antiqui (*Early Bronze Age*) inventa sunt, quorum complexio major apparet quam credebatur sed relatio cum illis quae munitio-nibus Hyksos subsunt nondum determinari potuit. In nulla area effossiones revelarunt moenia Aeri Recentis (*Late Bronze Age*). Intra ambitum murorum, in loco iam a J. GARSTANG effosso usque stratum neolithicum, inventum est sub strato XI notabile aedificium quod aspectum praebet alicuius sanctuarii primitivi cum recessu parvo, basi lapidea praeiacente et, non longe ab hac, simulacro ex lapide igneo quod potest esse *bethylium*. Insuper non ambigua habentur indicia sacrificii humani. Denique in eadem area "neolithica" apparuit murus sat rudis quem docta exploratrix tenet vestigium *munitae civitatis* omnium Palaestinae, quinimmo totius orbis, antiquissimae. Jam GARSTANG, ut scitur, tenebat Jericho primum in Oriente pagum constituisse, in quo ars ceramica ortum habuerit. Nunc Hierichuntini sibi acquirunt primatum peritiae

munitio! Maioris momenti fuit inventio necropolis, immediate a septentrione collis sitae, cum sepulcris in calcario profunde effossis, abundanti et soepe integra serie diversarum testarum praesertim Medii Aeri (*Middle Bronze Age*). Forsitan haec necropolis, vix adhuc explorata, secretum Jericho nobis revelabit.

Non tam remotae Antiquitatis, pro Christianis vero non absque peculiaris momenti, utpote cum Loco S. Nativitatis quamdam relationem revocans, exploratio quae patienter fit, ab anno 1951, nomine Custodiae T.S., a R. P. VIRGILIO CORBO, in loco ruinis seminato prope Bethlehem, dicto *Khirbet es-Siyâr el-Ghanem*, seu "ruinae caulae pecuariae". Fructus praecipui laborum constituuntur determinatione naturae harum ruinarum, quae sunt alicuius amplissimi monasterii, temporis byzantini, cum ecclesia, quae decursu temporis, fuit amplificata, cum vasta et ingenua dispositione locorum et rerum qualis requirebatur activitate agricola monasterii. Non absque miratione inventi sunt in abside ecclesiae restauratae lapides magni, technicae constantinianae artis, qui ad aedificium polygonum pertinuerunt, omnino alienum a nostro, sed cuius existentia jam a tempore attestatur, nempe ipsa Basilica Bethlemitana a Constantino erecta, cuius polygonalis forma partis Sanctissimae Speluncae supereminens cedere debuit novae ab architecto Justiniani introductae. Hucusque ignorabatur quo finierint illi magni lapides.

* * *

Iam Lector nonnulla certe audivit de novissimis explorationibus quae praesertim ab *École Biblique et Archéologique Française*, rectore R. P. R. DE VAUX, O. P., cum *Department of Antiquities* Jordaniae et *Museo Palaestinese*, factae sunt in tota regione desertica ad occidentem Maris Mortui, sub ditioe arabica, in qua habetur illa nunc celeberrima caverna manuscipitorum apud *Khirbet Qumrân*. Nonnullae relationes breves iam in ephemeridibus apparuerunt et generosiores expectamus in *Revue Biblique* mox proditura. Ad complementum eorum quae *L.A.* I, p. 63ss. ferebat, iuvabit hic notare praecipua.

Imprimis, mensibus Novembri et Decembri anni praeteriti, R. P. R. DE VAUX et L. HARDING, moderator *Department of Antiquities*, effossiones direxerunt in *Khirbet Qumrân*, circa 1 km. a meridie cavernae manuscipitorum, cuius ruinae generatim retinebantur castelli romani, sed revera exploratae sese revelarunt velut cuiusdam monasterii (28,5 : 36 m.) cum cubiculis in conditorium adhibitis. Inter minuscula inventa magni fuit momenti inventio vasis magni, in solum immissi, omnino illis quae in caverna continebant manuscripta

similis, sed hic ad domesticum usum. Prope collecti fuerunt nummi temporis ultimorum Procuratorum Judaeae (44-66 p. C.). Unde sequitur vasa illa, hellenistica quidem absque dubio, in usum remansisse usque ad tempora romana, saltem in hac regione, quod mirum non est, insuper vasa huius formae sat peculiaris non reservari nec primo destinari ad recipienda manuscrita, id quod comprobavit exploratio multarum cavernarum regionis adiacentis. Aedificium destructum fuisse videtur tempore belli judaici (66-70 p. C.) et eodem tempore abscondita fuerunt manuscrita in viciniori caverna. Non longe extenditur coemeterium sat vastum cuius sepulcra, simplices fossae lapidibus consolidatae, eadem formam omnia exhibent. Defuncti absque vestimentis vel donis, capite versus meridiem directo, humati fuere. Exploratio huius coemeterii interrupta fuit propter nuntium inventionis a beduinis novae cavernae, paulo a meridie prioris, cum fragmentis manuscritorum.

Exploratio methodica omnium cavernarum regionis incoepa tunc est, et, ni fallimur, plura centena visitata sunt loca. Multae cavernae in lucem prodiderunt vestigia occupationis antiquae, cum fragmentis manuscritorum, vasorum, lampadum etc., quae omnia perfecte congruunt cum iis iam inventis in caverna et *Khirbet Qumrân*, et probant habitatores harum cavernarum eosdem fuisse quorum centrum existebat aedificium illud de quo supra. In una ex illis cavernis exploratis inventae sunt duae laminae aeneae, ad instar voluminum convolutae, ferentes scripturam, hebraicam quadratam fortiter impressam. Ad legendum hoc documentum quod facile suspicatur esse maximi momenti, necessarium erit evolvere laminas, quod sane arduum opus technicum apparet. Laminae exponuntur adhuc in Museo Palaestinense, cum indicatione earum crassitudinis quae est ca. 3-4 mm., latitudinis quae est ca. 30-40 cm. et longitudinis quae computatur ca. 2 m. 40 cm. Monumentum certe unicum in archaeologia Palaestinae et in memoriam revocans illas "tabulas aereas" de quibus *I Mac.* 8,21 vel 14,26.

Ad perficiendam, pro tempore, historiam Manuscriptorum Maris Mortui Lectori benevolo indicare liceat completissimum Elenchum textuum quem confecit DOMN. J. T. MILIK, cum relativa bibliographia, et publici juris fecit in *Verbum Domini*, vol. 30 (1952), pp. 34-45 (continuabitur).

Nondum placata permotione inventis *Qumrân* concitata, nova inventio iterum movet animos, quae vix minoris est momenti historici. Agitur de duabus cavernis quae in valle praerupta et angusta aperiuntur in media pariete ibi alta ca. 200 m. Vallis nomen est *Wâdi Murabba'at*, 18 km. a meridie *Khirbet Qumrân*, 14 km. a septentrione *'Ain Gidi* (Engaddi), 1 km. a septentrione *Wâdi ed-Darageh*. Per sex hebdomades, in hac regione omnium asper-

rima et desolata, accessu vix non possibili, R. P. DE VAUX et L. HARDING, in magno secreto, adiuvantibus nomadibus, effodierunt systematice cavernas illas et diversa strata definierunt; neolithicum (plura artefacta magni momenti!), stratum aetatis Mediae Aeris II (M.B. II), aetatis Ferri II (sec. IX-init. VI), et periodi romanae. Hoc ultimum stratum (omisso strato recente arabico) revelavit documenta insperati momenti: ceramicam romanam, nummos temporis Procuratorum, Agrippae I, Hadriani, IIIi belli judaici (133-135 p. C.), contractum matrimonialem in lingua graeca anni septimi (124 p. C.) regni Hadriani Imperatoris, ostraca ebraica, multa fragmenta coriacea et papyracea graece, hebraice, aramaice inscripta, atque manuscripta biblica laceratissima. Sed omne tulit punctum inventio duarum epistularum cuiusdam "*Shim'on Ben Kosebah, nâsi Israel*", ad quemdam "*Yeshua' Ben Galgola, ducem exercitus*", in quibus agitur de rebus administrativis et de bello contra "gôyîm" quod tunc fervet. Nullum potest existere dubium quin agatur de famoso duce rebellionis judaicae tempore Hadriani, Shim'on Bar Kokebah, quem fontes rabbinici *Bar Kozebah* vocant. Ad calcem unius epistulae characteribus diversis, apparet subscriptio *Shim'on b.*, forsitan ex ipsa manu ducis rebellionis! Prima documenta authentica huius belli tam parum hucusque noti! Notemus insuper existentiam alicuius papyri palimpsesti in quo habetur textus in litteris phoeniciis redactus (forsitan ex sec. VIII-VII a. C.). Momentum horum omnium documentorum neminem fugere potest cum sint temporis determinati cum certitudine, praesertim palaeographia hebraica inde non parvum emolumentum recipiet. Sed plures anni patientissimi studii necessarii erunt priusquam publici iuris fiant omnia inventa. Interea affluunt nunc in manus Ministerii Antiquitatum et etiam privatorum documenta et fragmenta, quae nomades avide exquirunt in innumerabilibus cavernis deserti Juda. Omnia quae hucusque sub oculos nostros venerunt, sunt fragmenta linteorum cum scriptura cursiva graeca, vel syriaca(?), vel arabica. Susplicamur in multis haberi textus Lictionariorum quibus monachi et eremitae sec. VI-VII p. C. utebantur.